B. N. C
FIRENZE
1 0 7 2
14

PROBABILITAS
OPINIONIS

EXIMENTIS DISPENSATOS
Absolutè ad Carnes in Quadrageſima
ab obligatione ieiunij ſingulis qui-
buſq.ferjis VI. & Sabbathis.

Defenſa contra Sententiam oppoſitam à ſuo
Authore nouiſsimè propugnatam

Ab Admodum Reu.

D. PLACIDO ROSSI
CLERICO REGVLARI.

Die 16. Nouembris 1684.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIR. 1872

LVCÆ, Apud Hyac.Pacium. M.DC.LXXXV.

De Superiorum Conſenſu.

1072.14

PerIlluſtri, ac Admodũ Reuerendo Dño

DOMINICO MAGNIO

I. V. D. Excellentiſsimo, ac Domino Colendiſsimo.

Hyacinthus Pacius Fœlicit.

VEhementiſsimè ſemper indolui Sapientium pleroſque nimis plus animi moderationem ſecutos præclariſsima ingeniorum ſuorum opera in lucem prodire non pati, ac proindè homines communi Reipublicæ bono procreatos nos non raro ijs fraudare commodis, quæ ad humanæ naturæ præſidiũ poſsent affluenter diffundere. Vera fateor, vix tẽperare poſsũ, quin eorum increpans modeſtiam exclamem

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

[Q]uis enim fructus abditæ intra priuatos parietes litteratorũ induſtriæ eſt? Quid ſuadet ea reticere, quæ in humani generis emolumentum loqui ratio exigit, neceſſitas poſtulat? Nil mireris igitur, ò litteratorum Capitum decus, quod cùm ad me hoc doctiſsimi Viri D, PLACIDI ROSSII opus peruenerit, eo inconſulto tàm admirabilis doctrinæ ſpecimen, quantum hìc eminet, diù latere non permiſerim: Tibi autem dicatum volui, quod non à alibi litterarium, idquè præſtantiſſimum, collocari opus putaui, quàm eius in gremio, vbi admirabilis ſapientiæ recondunttur theſauri? Excipe igitur amantiſsimus Domine, & ipſum, ac benigne refoue Patrocinio. Vale.

An ille, qui cũ legittima, & abſoluta licentia vt moris eſt obtenta ab inferiore Summo Pontifici non obſeruat Quadrageſimam, ſolùm ex cauſa, quia Cibi Quadrageſimales nauſeam faciunt, vel ab eis timet notabile nocumentum, licet abundè firmis polleat viribus; an, inquam, ſic diſpenſatus teneatur ieiunare ſub mortali ſingulis ſextis ferijs, & Sabbatis eo tempore occurrentibus.

Ad effugienda omnia æquiuoca operæ pretium duxi explicare ſtatum quæſtionis, ne quaſi aerem verberantes fruſtrà teramus tempus, vndè

SVpponendum ſolitas generales atteſtationes Medicorum pro diſpenſationibus à præcepto Quadrageſimali ob leuem cauſam non ſuffragari ipſas expoſcentibus: Nam ſi quis poteſt euitare damnum futurum comedendo carnes ter in hebdomada, tenetur alijs diebus ieiunare; *Ioannes Sanchez in ſelectis de Sacramentis diſp.* 51. *nu.* 14.

nu. 14. Beia *par.pr. caſuum conſcientiæ caſu* 45. Paſqualig. *tract. de ieiun. deciſ.* 270. Inſuper ſi neceſſitas poſtulet tantum comedere oua, & lacticinia, certè abſtinendum eſt à carnibus, & ieiunij præceptum vrget. Immò diſpenſatus ad carnes vnica vice pro ſingulis diebus non poteſt altera vice comedere carnes, quia præceptum abſtinentiæ à carnibus eſt negatiuum obligans ſemper, & ad ſemper, ità Paſq. *tract. de ieiun. dec.* 270. *nu.* 5. In quibus ſenſibus non procedit quæſtio, nec puto quòd in ſimilibus caſibus dentur prædictæ licentiæ generales, & ſi darentur ſunt generales materialiter, ſed virtualiter cōditionatæ, & coarctatæ, quia dantur non ſuprà, ſed iuxtà indigentiā poſtulantium, & in hoc debent cautè procedere Medici, ne eorum atteſtationibus generalibus eſus carnium fiat ſupra exigentiam.

Quæſtio ergò ſolum agitatur in eo caſu, in quo vel ob præſeruationem damni futuri, vel ob nauſeam ciborum Quadrageſimalium, licet aliundè ſint vires, detur rationabilis cauſa, & ad minus ſufficiens motiuum, vt Medicus poſſit teſtari: *Il Sig. N N: per giuſte cauſe non puole oſſeruare la preſente Quareſima, &c. in fede, &c.* cuius atteſtationi Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Archiepiſcopus, vel alius ab eo deputatus ſubſcribit *Si diſpenſa, &c.* & difficultas oritur, quia ex vna parte ab rationabilem cauſam adeſt abſoluta, & generalis diſpenſatio à pręcepto Quadrageſimali, & aliundè in prædictis diſpenſatis non vi-

mali,

detur feria VI. & Sabbatho huius diſpenſationis neceſſitas, quia aliundè comedunt piſces; ideò naſcitur dubium an vrgeat obligatio ieiunij prędictis diebus; Cœterum ſi non ſupponitur ſufficiens motiuum, & rationabili cauſa huiuſmodi atteſtationis, & licentiæ, licentia obtenta erit invalida, & ſubnectitia, & nemo poſſet eâ vti abſque peccato mortali, ſi mala fide procedit, & ad hòc dignoſcendum neceſſariæ non erāt diſſertationes, & Apologiæ.

Vndè pro ſtatu quæſtionis aduertendum, tanquam certum pręceptum Quadrageſimale eſſe diſtinctum à pręcepto ab abſtinentia à carnibus vrgente ſingulis ſextis ferijs, & Sabbathis; Primò quia illud pręceptum tantum vrget tempore Quadrageſimę, hoc autem vltra progreditur, & vrget alijs menſibus extrà Quadrageſimā; vndè ſi vno iam completo, aliud durat, iam ſeparantur inuicem, & ſic diſtinguuntur realiter; cum nullum maius ſignum diſtinctionis realis, quam ipſa ſeparabilitas. Secundò diſtinguuntur ratione materię, dum vnum pręcipit abſtinentiam à carnibus, & à ſemine carnium, & vnicam comeſtionem, aliud autem ſolum prohibet carnes. Tertiò hoc pręceptum eſt fortiùs, & vniuerſaliùs, quā pręceptū Quadrageſimale, ac proindè diſpenſatus ab hoc præcepto Quadrageſimali nō eſt diſpéſatus ab alio, licet tamen è conuerſo diſpenſatus à pręcepto vrgente diebus Veneris, & Sabbathi, eſt etiam diſpenſatus à præ-

cepto Quadrageſimali: ita pariter Diana *par.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 43. Paſqual. *dec.* 15. 462. *nu.* 3. Quartò hoc fuit introductum ad imitationem Chriſti Domini quadraginta diebus ieiunantis in deſerto, illud autem ob memoriam Paſſionis, & Mortis ipſius. His poſitis.

Dico primo. Gaudentem huiuſmodi diſpenſatione, vt decentius agat, & conformius Chriſtianæ pietati debere ieiunare, non ſolum VI. ferijs, & Sabbathis, ſed etiam omnibus illis diebus, quibus pro libito ſe abſtinet à carnibus. Quia quicumque Catholicus memor debet eſſe quanta Chriſtus Dominus paſſus ſit pro nobis totum ſuum Sanguinem effundendo in pretiū noſtræ ſalutis; & dum ſe ipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & exanimem ſe reddidit in Cruce, non poterit Fidelis, dum aliundè pollet viribus tàm parum tolerare ſe abſtinendo à ſecunda comeſtione? Innocens tam paſſus eſt, & qui non eſt mundus à ſorde debet eſſe immunis à pœnitentia?

Attendite? vlterius quid Sancti PP. de ſacro ieiunio dixere vna voce clamantes nihil ſalubrius corpori, & animæ; inter quos S. Baſilius *Homil. pr. de ieiun.* Ieiunium eſt animæ optima cuſtodia, corporis ſocius ſecurus, fortibus viris monumentum, & arma athletis, & certantibus exercitatio; Hoc propterea tentationes propulſat, ad pietatem armat; in bellis fortitudinem affert, in pace quietem docet. Hoc præceptum

Apo-

Apoſtolicum eſt, illud quæ Sanctiſs. Viri Catholicę Fidei Cardines. Eccleſiæ tradiderunt, cognoſcentes ieiuniũ ad Deũ ducere, delicias ad perditionẽ, qua propter vnuſquiſq; lucrari debet tempus tàm acceptabile, ieiunando, abſtinendo à cibis nimis gulam allicientibus, vt faciunt Viri timoratæ conſcientiæ, & in noſtro ſenſu, credo, locutos fuiſſe D. Matthęum de Pandolfinis, & D. Laųrentium de Cocchis, & vt viri omnigenæ, & præclaræ virtutis hoc ſemper conſųlebant, an verò ad hoc faciendum Pœnitentes adſtringerent ſub lethali culpa; fides ſit penes dicentem.

Dico ſecundo. Licet vt cõformius agat Chriſtianis moribus talis diſpenſatus à Quadrageſima ieiunare debeat ſingulis ſextis ferijs, & Sabbathis, tamen ad hoc non tenetur ſub mortali, vndè non peccabit mortaliter qui prædictis diebus non ſe abſtinet à ſecunda comeſtione.

Probatur primo concluſio; quando concurrunt duo præcepta diſtincta eiuſdem rationis, & præcipuè ſi vnum eſt fortius alio, diſpenſatus abſolutè, & ob rationabilem cauſam ab vno, & non ab alio fortiori, non tenetur amplius ad illud, nec ad quod connectitur eſſentialiter cum illo, licet teneatur ad aliud, à quo non eſt diſpenſatus; ſed gaudens tali diſpenſatione abſoluta, & valida, eſt ſimpliciter diſpenſatus à Quadrageſimali præcepto, ergo non tenetur ad hoc obſeruandum, & conſequenter ad ieiunium, vt ſpectans ad ipſum, ergo non tenetur ieiunare

feria

feria VI., & Sabatho, cum ad hoc tenetur ex vi præcepti Quadrageſimalis, a quo eſt diſpenſatus; licet tamen, quia non eſt diſpenſatus ab alio fortiori præcepto peculiariter vrgente pro feria IV., & Sabbatho, ſolum teneatur hoc obſeruare, quod quia non præcepit ieiunium, ideò non tenetur ad eiunandum.

Dices, his diebus comeduntur piſces, & datur abſtinentia à carnibus, ergo vrget præceptum ieiunij, quod ſemper reuiuiſcit poſita abſtinentia à carnibus, cum præceptum Quadrageſimale non dicat, niſi ad minus ſimilem abſtinentiam, & vnicam comeſtionem, pro reſponſione.

Probatur ſecundo concluſio; vt inſurgat obligatio ieiunij non ſufficit, vt ſit quomodocumque abſtinentia à carnibus, ſed inſuper requiritur, vt eodem præcepto, à quo emanat actus ieiunij, emanet etiam ipſa abſtinentia à carnibus, & ratio eſt, quia requiritur, vt talis abſtinentia, ſit forma illius actus, & nunquam forma erit ieiunij, niſi ſit ab eodem præcepto imponente ieiunium, nam accipere abſtinentiã ab vno ex ſua natura non imponente vnicam comeſtionem, & actum ieiunij ab alio præcepto eſt vnire quæ in ſenſu compoſito non ſunt vnibilia, & ſic eſt efformare hircoceruum præceptorum; ſed in noſtro caſu abſtinentia à carnibus pro feria ſexta, & Sabbatho habetur non à Quadrageſimali, ſed ab alio præcepto non imponente obligationem ieiunij; ergo non

inſurgit

inſurgit obligatio ieiunii, licet detur talis abſtinentia, & comedantur piſces.

Confirmatur, poſito ex impoſſibili quod non detur aliud præceptum, ſcilicet feriæ ſextæ, & Sabbathi ab abſtinentia à carnibus pro his prædictis diebus, quod eſt fortius, & vniuerſalius; gaudens tali diſpenſatione nonnè feria ſexta, & Sabbatho poſſet comedere carnes? Certè quidem; nàm ſicuti alijs diebus, etiam iſtis poſſe veſci carnibus, cum non ſit maior ratio de illis, quam de iſtis, dum talis diſpenſatio ob rationabilem cauſam fuit generalis, & non determinata pro aliquibus diebus; ergò ſignum eſt quod abſtinentia à carnibus his diebus non habetur à præcepto Quadrageſimali, quia aliter non poſſet comedere carnes, ſed ab alio non imponente ieiunium; ergò non insurgit obligatio ieiunij; quia, vt dixi, adhoc vt inſurgat obligatio ieiunij, abſtinentia à carnibus, vt forma illius, debet eſſe ab eodem præcepto, à quo eſt actus ieiunij; ergò pręceptum Quadrageſimale eſt omninò extinctum, etiam pro his diebus; alioquin etiam non poſito alio præcepto carnes prohibente, nec etiam poſſet comedere carnes taliter diſpenſatus; & vlteriùs etiam hoc argui poteſt à poſteriori, nam quare taliter diſpenſatus his diebus comedit oua? Si talis diſpenſatio vtpote data ab inferiore Summo Pontifici vltra indigentiam eſt omninò inualida, nec alia datur quoad eſum ouorum, debet obſeruari præ-

ceptum

ceptum Quadrageſimale in toto rigore etiam quoad abſtinentiam à ſemine carnium ; ſi ergò ità non obſeruatur præceptum Qudrageſimale, ſignum eſt quod ſit extinctum, & diſpenſatio durat, & ſi comeduntur oua, eſt quia ſolùm vrget aliud præceptum illa non prohibens ; ergò ſicuti taliter diſpenſatus poteſt feria ſexta, & Sabbatho vti ouis, & lacticinijs, quia teneatur ſolum ad præceptum illa non prohibens, ita à pari poterit vti ſecunda comeſtione à tali præcepto non prohibita pro his diebus ; hac ratione dicitur quod ſi quis in noſtro caſu teneretur ieiunare præcepto Quadrageſimali, non poſſet comedere oua, & lacticinia feria ſexta, & Sabbatho non quia eſus ouorum non poſſit ſtare cum tali præcepto, poſita abſtinentia à carnibus, ſed quia ſupponitur diſpenſatio obtenta ex vna parte inualida, & ex alia parte non ſupponitur alia diſpenſatio quoad eſum tantùm ouorum, & lacticiniorum, ideò debet obſeruari præceptum Quadrageſimale quoad totum rigorem; quarè ſi comeduntur, eſt ratione alterius præcepti, vndè comedere oua, & lacticinia tantũ non eſt obſeruare præceptum Quadrageſimale, coarctatè loquendo in noſtro caſu, ſed aliud pręceptũ fortius vrgens feria ſexta, & Sabbatho.

Dices iterum, atteſtatio facta à Medico, & diſpenſatio conceſſa non poſſunt eſſe ità generales, vt ſe extendant ad hos dies, quia non poſſunt excedere limites indigentiæ, & cauſæ; ſed

cauſæ,

cauſa nunquam fuit, & indigentia non reperitur; ergò etiam poſita huiuſmodi diſpēſatione, taliter diſpenſatus tenetur ieiunare; Sed contrà quod non ſit cauſa, & indigentia aſſeritur, & nō probatur; aſſerere autem, & non probare eſt nihil concludere, vndè dico: non eſt cauſa, & indigentia? ergò ſumus extra quæſtionem: nam difficultas procedit quando ob rationabilem cauſam cognitam prudenter Medicus generaliter teſtatur, & Ordinarius diſpenſat; deindè ſi nulla eſſet rationabilis cauſa, & diſpēſatio eſſet inualida, diſpenſatus pro feria ſexta, & Sabbatho etiam ſi non adeſſet aliud præceptum fortius, nec etiam his diebus poſſet veſci carnibus vt clarè patet; ſi hoc conceditur, aſſignetur diſparitas, cur alijs diebus poteſt veſci, & feria ſexta, & Sabbatho ablato alio fortiori pręcepto, non poſſet comedere carnes? Diſpenſatio eſt abſoluta ob rationabile motiuum, & non conditionata.

Vlterius peto: vndè argui poteſt pro his diebus in taliter diſpenſatis ceſſaſſe; & nunquam fuiſſe cauſam, & indigentiam diſpenſationis; forſan quia aliundè comeduntur piſces, ſunt vires, & datur abſtinentia à carnibus ratione alterius pręcepti ipſam imponentis, aliter cur potiùs ad hos, & non ad alios dies ſe extēdit difficultas? Sed hoc quod aſſeritur, non concludit aliquid contra nos. Ratio eſt, quia indigentia non dependet, & dęsumitur ab alijs pręceptis vrgentibus,

bus,

bu', & non vrgentibus intra Quadrageſimam, cum quibus nullam habet connexionem, ſed naſcitur ex ipſa neceſsitate perſonæ, quæ neceſſitas, & indigentia duplex eſt, alia per modum actus, & tranſeuntis, vt patent in laborantibus pro aliqua hebdomada febribus, & deindè ad priſtinam reducuntur valetudinem; alia autem eſt per modum habitus, & permanentis, vt eſt in caſu noſtro, quibus correſpondet duplex diſpenſatio, vna per modum actus, & ſic actu trāſacto, ſcilicet recuperata valetudine, ceſſet diſpenſatio, & inſurgit præceptum Quadrageſimale; altera per modum permanentis; & hæc ſemper durat, neque tollitur per aliquod accidens in contrarium; quia ſcilicet comeduntur aliquādo piſces, ſiuè pro libito, ſiuè ex alio præcepto, vndè dicendum, quod ratione alterius præcepti vrgentis feria ſexta, & Sabbatho non tolluntur indigentia, & diſpenſatio; ſed potiùs quod diſpenſatio ratione habitualis indigentiæ eſt impedita ne habeat ſuum effectum quoad comeſtionem carnium tantùm, quia circa hoc ſe expendit impedimentum, & non vltra. Et ſi his non obſtantibus dicitur indigentiam ceſſare ſicuti diſpenſationem his diebus etiam per modum permanentis, probetur rationibus: recurrere autem ad illud, quid aliūdè comeduntur piſces, eſt petere principium; & replicare, quod his diebus ieiunando non timetur notabile nocumentum, ad nihil valet; quia taliter diſpen-

diſpenſatus ederet piſces vna die Dominica intra Quadrageſimam, nec etiam timeretur notabile nocumentum, & tamen nemo dicit teneri adhoc præceptum negatiuum ſeruandum, & etiam ipſi actualiter infirmi, ſi aliquo die, v. g. Martis,& Iouis neceſſitarentur à Medico pro recuperanda ſalute ad talem dietam ſeruandam, quod eſſet pluſquam ieiunare, non per hoc tenerentur ad ieiunium, quia per accidens eſt ad diſpenſationem, quod dieta, atque adeò ieiunium proſit; quod autem per accidens ſe habet, non officit ijs, quę conueniunt per ſe. Quod in terminis adaptatur in noſtro caſu, quia etiam in his infirmis non daretur indigentia, & cauſa aliqua, aut neceſſitas non ieiunandi, imò circa ieiunium ſeruandum daretur duplex præceptum; temperantię ſi cœnare vltra octo vncias eis grauiter officeret, & Quadrageſimę; at in noſtro caſu daretur ſolùm vnum pręceptum, ſcilicet Quadrageſimę; & pro hac doctrina ſtat Paſqual. *tract. de ieiun. deciſ.262.* qui pro ſe citat Riccard. *in 4. diſt.15. art.3. q. 4* Roccaful. *in praxi nu.6. de præc. Eccleſ. lib.3. cap.7. nu. 3.* Sanchez *lib.5. conſil. mor. c.pr. dub.14. nu. 2.* Lean. *in præc. Eccl. tract.8. diſp.8: quæſt.26.* Et inſurgere dicendo, non currere paritatem, quia in caſu adducto, datur actualis infirmitas, ex qua per ſe reſultat diſpenſatio, non ſic in caſu noſtro, cum nulla ſupponatur infirmitas, ex hoc cōcluditur, quia habere talem nauſeam, & tales diſpoſitio-

nes,

nes, ratione quarum timeatur notabile damnũ ex obſeruantia Quadrageſimali, non credo, quod ſi ſanitas, & conſequenter etiam eſt infirmitas; & ſi replicas quod talis infirmitas habitualis poſſit ſtare cum ieiunare fer. ſexta, & Sabbatho, & ego reſpondeo, quod etiam infirmitas actualis in paritate adducta poteſt ſtare cum ieiunio, imò ei eſt neceſſarium vt curetur.

Probatur tertio. Poſita obſeruantia pręcepti vrgentis ſingulis ſexta feria, & Sabbatho, non eſt ratio cur reuiuiſcat pręceptum Quadrageſimale in diſpẽſato à tali pręcepto; ergò remanet omninò extinctũ, ergò taliter diſpenſatus nõ tenetur ieiunare, Conſeq. ſequitur, Antecedẽs prob., nam ratione ſpeciali vnius pręcepti pro fer. ſexta, & Sabbatho non poteſt inſurgere aliud, cum inter ſe non ità connectantur, vt vnum ſequatur eſſentialiter ad aliud, quia de facto vnũ ſtat ſine alio extra Quadrageſimam, & hoc ſine illo in Quadrageſima, ſcilicet die Iouis; vndè quia vnum eſt independens ab alio, non eſt ratio cur vnum reuiuiſcat ad poſitionem alterius. Neque inſurgit ratione diſpenſationis, quia hęc eſt abſoluta, & ob rationabilem cauſam, non conditionata, vt notat Paſqual. *tract. de ieiun. dec.* 268. *nu.* 2. nec re talis debet ſupponi, cum non ſit in ea poſita aliqua conditio, & non eſt intelligendum, quod non eſt expreſſum in priuilegio diſpenſationis, neque ratione Superioris diſpenſantis, volentis vt tunc temporis vrgeant pręceptum

ptum Quadrageſimale: Primò quia eius mens declaratur per verba diſpensationis, quæ cum non ſint coarctata, & reſtricta, non poſſunt declarare eius mentem coarctatam, & reſtrictam; imò declarant eius mentem indefinitam, cum indefinita ſint verba diſpenſationis. Secundò mens diſpenſantis non attendit alia præcepta occurrentia intra Quadrageſimam, ſed ſolùm indigentiam, quæ cum iudicio rationabili prudentis Medici ſit per modum habitus, & permanentis, ideò obtinet abſolutam diſpensationẽ ab Ordinario tota Quadrageſima durantem.

Notandum Patrem Dianam docere *par.* 10. *tract.* 13. *res* 43. gaudentem huiuſmodi diſpenſatione non teneri ſe abſtinere à carnibus feria quarta, Quatuor Temporum, & Vigilia S. Matthiæ Apoſt. decurrentibus intra Quadrageſimam, & ex hoc clarè deducitur quam ſit abſoluta, & non conditionata talis diſpenſatio à pręcepto Quadrageſimali, & ſi hæc poteſt tollere aliud præceptum negatiuum extra ſe, quod eſt fortius, quanto magis poterit tollere præceptum poſitiuum de vnica comeſtione intra ſe, quod non eſt ità fortius? Et vlterius ex hac doctrina deducitur, quod diſpẽſatio à præcepto Quadrageſimali potiùs trahit ad ſe diſpenſationem alterius pręcepti, quam trahatur ab alio pręcepto, & ceſſat ratione obſeruantię alterius præcepti.

Probatur quarto; qui rationabiliter eſt diſ-

ſatus a toto, eſt etiam diſpenſatus a partibus componentibus totum, ſic qui per annum eſt diſpenſatus ab officio, eſt etiam diſpenſatus a recitatione officij ſingularis, quibuſque diebus integrantibus ipsum annum, dum cauſa, ratione cuius datur diſpenſatio ſit per modum habitus, & permanentis toto anno: ſed cauſa indigentiæ, ratione cuius habetur generalis diſpenſatio eſt etiam permanens, cum habituales ſint indiſpoſitiones, ratione quarum timetur damnum futurum, & nauſea ciborum quadrageſimalium, ergo ſic diſpenſatus a tota quadrageſima ad carnes eſt etiã diſpẽſatus ſingulis, quibuſq; diebus quadrageſimã integrantibus; Et ſi hoc nõ obſtante feria 6. & Sabbatho non comedũtur carnes, eſt, quia vrget aliud pręceptũ non obligans ad ieiunium.

Neque obſtat quod Innoc. XI. fæliciter dominans damnauerit propoſitionem 54. in ordine damnatarũ propoſitionum, & eius rationẽ 5. *qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes poteſt tamen reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior parrabit ad ſe minorem*; nam ex hoc nihil ſequitur contra nos, quia illa propoſitio damnata fuit prout iacet, vnde non poteſt fieri tranſitus a caſu ad caſum etiam ſimilem; vltra quam quod ſumus in caſu diſſimili, & valdè diuerſo, quia circa recitationem officij non datur diſpenſatio, ſed ſolum impedimentum ſperans ſemper iuxtà ſuas vires, & non vltrà, quod quia ſe ex-

ten-

tendit circa vnam , & non aliam partem , ideoque ſi non vnam tamen tenetur aliam partem recitare , & poſito quod daretur diſpenſatio circa officium , nec etiã curreret paritas , nã in tali caſu cenſeretur quis diſpenſatus ad ſummũ ab vna tantum parte , ad quam datur neceſſitas ex impotentia , & quia in vna non includitur alia pars , ideò diſpenſatus ab vna non cenſeretur diſpenſatus ab alia parte ; at in caſu noſtro è conuerſo adeſt ob rationabile motiuum diſpenſatio a tota Quadrageſima , & quia ſub toto includuntur partes , ideò diſpenſatio ſe extendit ad omnes partes , & dies illius ; Et licet tot eſſent præcepta , quot dies Quadrageſimæ, quia tamen omnia iſta præcepta diſtributiuè nõ ſunt niſi hoc collectiuum totius Quadrageſimę dum ex aggregato per accidens non ſequitur tertia entitas toti, ideò diſpenſatus a toto collectiuo eſt etiam diſpenſatus ab omnibus præceptis diſtributiuè acceptis .

Neque contra nos concluditur aliquid dicendo ; Si quis propter viſus debilitatem non poſſit, niſi cum graui incommodo recitare nocturnum de feria cum lectionibus, poſſit autem memoriæ beneficio ſine difficultate recitare cæteras Horas, ad eas omninò teneri etiam poſita ab Inferiore diſpenſatione generali à diuino Officio , quia talis diſpenſatio ex defectu cauſæ non ſe extendit ad cæteras horas ; ergò ſic in caſu noſtro , dum non timetur notabile nocu-

mentum ex ieiunio feria 6. & Sabbathi; Nam in paritate adducta variatur ſuppoſitum, quia memoriter dicere eſt virtualiter oculis legere, cum vtroque medio recitetur diuinum Officiū; vndè beneficio memoriæ tollitur impedimentum, & cauſa finalis diſpenſationis, non ſic in caſu noſtro, quia ſemper ſupponuntur illæ indiſpoſitiones, ratione quarum datur diſpenſatio ad carnes, cum ſint per modum habitus; & ex earum natura exigunt talem diſpenſationē; vndè perſeuerante hac cauſa diſpenſatio ſemper vrget, & ablata per diſpenſationem abſtinentia quadrageſimali a carnibus, & semine carnium, tollitur Ieiunium, vt dependens eſſentialiter a tali abſtinentia tanquam a forma.

Probatur quinto; certum eſt quod nauſea ciborum Quadrageſimalium, & timor damni futuri, ſit iuſta cauſa diſpenſandi a Quadrageſima; vt clarè patet, & conſequenter poſita hac rationabili cauſa iudicio prudentis Medici, valida, & licita erit diſpenſatio; quod etiā eſt dicendum, quandò cauſa eſt dubia, ità Paſqual. qui citat pluſquam 10. Auctores, cupientes ſcire qui ſint legite tract.de Ieiun.deciſ. 394. His poſitis taliter diſpenſatus licitè, & validè gaudet priuilegio diſpenſationis; ergò nō tenetur ieiunare ſextis fer.& Sabb.probatur ità conſequentia; qui licitè, & validè gaudet aliquo priuilegio, ſi ex aliqua cauſa non poteſt quoad vnam, bene tamen poterit eo vti quoad aliam

aliam partem, præcipuè quia priuilegium facultatiuum, vt tradunt comm. DD. Panor. in cap. *cum acceſſiſſent* de con. de principe *n.* 20. Mãdoſ. de priuilegijs ad Gloſs. 15. *n.* 24., ergò ſic diſpenſatus ſi prædictis diebus non poteſt comedere carnes ratione alterius præcepti, benè poterit non ieiunare, et quoad hoc vti priuilegio.

Neque dicas, hoc priuilegium eſt odioſum; quia diſcedit a lege communi ieiunij, quæ eſt fauorabilis, vndè ſemper debet intelligi in ſenſu accomodo, & ſtricto modo, vt in reg. iuris in ſexto, odia debent reſtringi, fauores ampliari; ergò non videtur conceſſum fer. 6. & Sabb. dũ non videtur neceſſitas comedendi carnes; hoc enim quod dicitur, non obſtat.

Nam primo ob rationem allatã ſequeretur, quod taliter diſpenſatus, quandò tempore Quadrageſimæ pro libito comedit piſces, etiam teneretur ad ieiunium, & tamen hoc mordicùs negant Paſqual. tract. de ieiun. *deciſ.* 368. Lean. *in præcept. Eccl. tr.* 5. *diſp.* 8. *q.* 35. Fum. *p.* 1. *ſum. c.* 156. *dub.* 35. *concl.* 6. Andreas Mendoſ. *in Bul. in append. miſcell. diſ.* 2. *c.* 9. *n.* 40. *Auctor caſuum conſc.* citato caſu 2. menſis Ianuarij 1636. verſ. *reſp.* 2. vlteriùs 2. dicimus, falſum eſſe quod aſſumitur; nam hoc priuilegium de ſe non eſſe odioſum, ſed fauorabile tenet Bonac. *to.* 2. *diſp. pr. q.* 3. *part.* 1. *de priuil. n.* 11. Ratio eſſe poteſt, quia hoc priuilegium diſcedit a lege, ſed nón a

fauorabilitate legis, quia prodeſt vni ſine nocumento alterius,ad quod tollendum datur lex, odioſum autem eſſet, ſi indè inſurgeret nocumentum alterius, quia tunc vulneraretur reſpectu alicuius perſonæ fauorabilitas legis; & poſito etiam quod ſit odioſum nihil cōtra me, nam ſolum ſequeretur, non poſſe extendi, & ampliari vltra verborum proprietatem, & mētem concedentis, ità Bonaç. *diſp. pr. q. 3. p.7. n.* 5. Syl ueſ. *ver. priuil. q. 3.* Nau. *in ſum. c.*12. *n.* 5. Bartol. apud Suar. *l.* 8. *c.* 28. *n.* 19. Salas *diſp,*17. *ſect.* 6. *n.* 41. Quæ tamen verba dantis priuilegium nō poſſunt interpretari quando ſunt clara, vt in caſu noſtro. ità Azor. *to.* 1. *l.* 5. *c.* 23. *§. ſecundò quæritur ex l. ille, aut ille ff. de legat.* & quando mens Superioris vniformatur rationabili iudicio prudentis Medici generaliter atteſtantis, cuius iudicio innititur Superior diſpenſans.

Et ſi inſtas, quod talis diſpenſatio non ſit priuilegium, ſed declaratio facta a Superiore ne talis lex præcipiens ieiunium vrgeat in taliter diſpenſatis, in quibus quandò comedunt piſces vrget lex, & ceſſat declaratio, vndè cum non ſit per modum priuilegij, ideò talis declaratio non fauet, & conſequenter tenentur ieiunare. Reſp. negando ſimpliciter aſſumptum, vt patet ex Paſqual. *tr. de ieiun. deciſ.* 28. ex Bonac. *to.* 2. *diſp. p. q.* 3. *p.* 1. *de priuil. n.* 11., & dato, licèt non conceſſo quod aſſumitur: ſi iſta lex ob

iuſtam cauſam iam ex declaratione ritè, & validè facta ceſſauit toto tempore Quadrageſimę, quomodo non poterit intelligi ceſſata omnibus partibus Quadrageſimę;ſi non adeſſet aliud præceptum vrgens fer. 6., & Sabb., certè ſicuti alijs, & iſtis diebus comederentur carnes, & conſequenter declaratio facta non ceſſaſſet; ergò nec etiam ceſſat, quia comeduntur piſces ratione alterius præcepti dum vnum præceptū non poteſt impedire, & variare declarationem alterius præcepti quadrageſimalis; quam ſolū poteſt tollere cauſa huius declarationis, quæ vt permanens ſemper pro omnibus diebus perſeuerat etiam declaratio, quod lex ieiunij non vrgeat feria 6. & Sabbatho; ſed deueniamus ad ſolutionem argumentorum.

Primo ponitur opinio dicentium, diſpenſatos ad carnes teneri cum eſu carnium ieiunare, quia præceptum quadrageſimale importat duo præcepta, negatiuum vnum, ſcilicet abſtinentiam a carnibus, poſitiuum aliud, ideſt ſemel comedere in die, & qui non poteſt vnum tenetur obſeruare aliud; & ſicuti diſpenſatus ad plures comeſtiones adhuc tenetur obſeruare abſtinentiam à carnibus, ſic à pari diſpenſatus ad carnes tenentur obſeruare vnicam comeſtionem; Hinc ille arguit: Si ad ieiunium tenetur adhuc diſpenſatus ad carnes, quanto magis qui in feria 6. & Sabbato comedit piſces? Et pro hac opinione citantur quadraginta Docto-

res; Sed quæſo ante reſponſionem audiamus aliquos Doctores pro hac ſententia loquentes.

CITANTVR HI DOCTORES.

Bonac. *to. 3. diſp. 11. & vlt. de precept. Eccl. q. pr. p. 2. n. 3.* ſed hic aſſerendo diſpenſatos ad carnes teneri ad ieiunium, deindè limitat, niſi fortè hoc priuilegium ad carnes abſolutè concedatur, vt regulariter loquendo concedi ſolet; ſed in noſtro caſu tale priuilegium abſolutè conceditur, vt quæſtio ſupponit, ergo ſtat pro noſtra, & non pro contraria ſententia.

Naldus *verb. Ieiun. n. 3.* ſic ait; *ex natura rei licentia veſcendi carnibus, ſecundum magis communẽ eximit a præcepto Ieiunij*; vnde iſte Auctor non fauet opinioni allatæ.

Sanchez *conſil. moral. lib. 5. cap. 1. dub. 29. n. 3. Hæc ſententia cum eſu carnium non ſtare Ieiunia multò probabilior eſt, & ei fauent Bullæ Cruciatæ B. Pij V. & Greg. XIII.* & infra. *Si quis in extrema neceſſitate carnes edat, quia cibum alium non habet, & eſt dies Ieiunij, non ex hoc à Ieiunio excuſatur, quia non vtitur carnibus, vt carnes ſunt, ſed vt inſtrumentũ ſubſtentandæ naturæ. Sed verius eſt, non teneri ieiunare, quia abſtinentia à carnibus eſt de eſſentia Ieiunij; & ita vtcumque manducentur non poteſt ſeruari Ieiunium.* Ecce quomodò etiam in eo caſu, in quo non eduntur vt carnes non inſurgit obligatio ieiunij, quanto magis in ſententia huius Do-

ctoris non inſurget, quando vt carnes come-duntur ab his taliter diſpenſatis.

Trullench. *in Bulla Cruciatæ §. 4. d. 2 n. 5.* loquendo de hac opinione ſic ait; *& ſi hæc ſententia probabilis ſit, probabilior etiam eſt oppoſita ſententia videlicet vtentem carnibus in totum excuſari à præcepto Ieiunij*; & paulò infra reijciẽdo modicùs hãc sẽtẽtiã ſubiũgit, *qui excuſatur a parte præcipua, & ſubſtantiali, excuſatur à toto opere præcepti, ſic qui tantum poteſt recitare ex horis vnum pſalmum non tenetur præcepto recitandi; ſed præcipua, & eſſentialis pars ieiunij eſt abſtinentia carnium; ergo cui licet eſus carniũ liber eſt a Ieiunio*. Itaque iſte auctor non tenet, ſed reijcit hanc opinionem.

Facundez *præcept. Eccleſiæ 4. lib. 1. cap. 2. n. 5.* refert tres opiniones. Prima docet ſimpliciter diſpẽſatos ad carnes nõ teneri ad Ieiuniũ; Secũda ab oppoſito dicit teneri ad Ieiuniũ. Tertia mediat dicẽdo diſpẽſatos ex infirmitate preſẽti nõ teneri ex timore damni futuri ad Ieiuniũ. Audiamus nũc quid dicat eſſe Auctor circa has sẽtẽtias: *Hæ tres opiniones omnes sũt ſatis probabiles; Primam verò adhuc probabiliorem, quam tertiam, & ſecũdam exiſtimo, nam ſoluta, & diſpenſata eſſentia præcepti totum præceptum neceſſario ſoluitur, & cõtrariũ eſt plane inintelligibile*. Videat vnuſquiſque, quam probabilitatẽ poteſt habere talis opinio per hunc auctorẽ, ſi eſt in intelligibilis.

Caſtropalaus *p. 4. tr. 25. in Bull. Cruciat. diſp. vn. p. 7. c. 1. n. 11.* approbat hanc ſententiam;

quæ

quæ eſt opinio poſita; ſed deinde dicit hæc formalia verba: *Neque obſtat fundamentum huius ſententiæ, quia vnica comeſtio præcipitur dependenter ab obligatione abſtinendi à carnibus, quare hac detracta, nulla alia obligatio ſubſiſtit.*

Luciarius *de Iubilæo p.* 1. *cap.* 20. Diſpenſatus ad carnes cẽſetur ad oua,& lacticinia,& ieiuniũ, quia diſpẽſatus ad maius cenſetur diſpẽſatus ad minus;ſed abſtinẽtia a carnibus eſt de eſsẽtia, & quid præſtãtius vnica comeſtione,ergo &c. ita Diuus Thomas 2.2.*q.*147.*art.*8.,vndè auctoritas huius Doctoris non fauet huic opinioni.

P. Diana *part. pr. tract.* 9. *reſol.* 25. hanc opinionem vocat probabilem, ſed tamen contraria ſententia, quæ docet cum eſu carnium non poſſe ſtare ieiunium,dicit quòd ſit probabilior, & tuta in praxi.

Antonius de Litteratis *in ſumma p.* 2. *capit.* 19. *n.* 8. docet, præceptum Eccleſiæ licet in totum ſeruari nequeat, eſt tamen ſeruandum pro ea parte, qua ſeruari poteſt: ſed ad probandum diſpenſatum ad plures comeſtiones, teneri ſe abſtinere à carnibus, quod vtique eſt verum, ſed non facit ad rem, cum poſſit ſtare abſtinentia à carnibus ſine ieiunio, ſed non è contrà, quia eſt de eius eſſentia.

Iacobus de Graſſijs *deciſ. aurea part. pr. lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 58. affert eandem doctrinam, ſed in eo caſu, in quo quis eſt diſpenſatus ſolùm ad

oua, & lacticinia, tenetur ſe abſtinere a carnibus, quod verum eſt, quia ſtare poteſt abſtinentia à carnibus cum eſu ouorum, & lacticiniorum; Quare iſtæ auctoritates nihil probant ad rem, quia ſolum probant eſſe obſeruandū præceptum Eccleſiæ, quando remanet obſeruandum, vt in caſibus poſitis, at in noſtro caſu non remanet obſeruandum, quia deficit præceptum ieiunij ablata eius eſſentia, ſcilicet abſtinentia à carnibus. Ex alijs autem Doctoribus citatis prò hac opinione, paucis exceptis, qui defendunt cum eſu carnium poſſe ſtare ieiuniū, reliquos non vidi, quia non ſunt in noſtra Bibliotheca.

Cæterum contrariam opinionem eſſe pluſquam certam, & luce clariorem teſtatur Lalmaſ. 3. *part. method. c.* 5. §. 21., *&* 26. & Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 27. *par.* 2. *cap.* 3. dicit in calce, *quando ab alio concionatore iniectus fuit ſcrupulus hic diſpenſatis ad carnes, res noua, & contra communem exiſtimationem viſa fuit*; quibus addi poſſunt triginta Doctores citati a P. Paſqual. *deciſ.* 267. *n.* 9. quorum nomina breuitatis cauſa non recenſeo; cum hæc non opinio, ſed certitudo ſit ipſo ſole clarior, & quā contraria ſententia ſit obſoleta, & à fidelium cætu remota dicat ipſa conſuetudo Eccleſiæ, ipſa praxis fidelium. Neq; dicendum ſatis eſſe, Summum Pontificem talem ſententiam, nempè cum eſu carnium poſſe ſtare ieiunium dedu-

duxiſſe ad praxim anno 1657., quo diſpenſauit pro ea Quadrageſima in eſu carnium, ſeruata tamen obligatione quoad vnicam comeſtionē, & eodem modo Paulus V. diſpenſauit cum Domina Iulia de Aragonia Roccellæ Principiſſa, vt teſtatur Manginus; Ex hoc enim nihil concluditur contra nos; quia vel talis diſpenſatio fuit per modum priuilegij, & tunc taliter diſpenſati non tenebantur ieiunare, quia priuilegium eſt in fauorem priuilegiati, & conſequēter non obligat ipſum, & poteſt eo nō vti, nam quod habetur ex gratia non debet eſſe onEroſum, vt ex regulis Iur. in 6. ita Sanchez *lib. 5. conſil. Moral. c. 1. dub. 31. n. 2.* Paſq. *tract. de ieiun. deciſ. 271. n. 3.* vndè quia ieiunare cum eſu carnium eſt priuilegium, ideò cum eſu carnium taliter diſpenſati poterant non ieiunare. Si verò talis diſpenſatio fuit per modum preſcriptionis nouę formæ in ieiunio, tunc tenebantur ieiunare ſic diſpenſati; tamen ex hoc deduci nō poteſt, quod cum eſu carnium nunc vrgeat preceptum ieiunij; & ratio primo Paſq. eſt, quia tenemur ad præceptum eo modo, quo eſt ab Eccleſia, & non aliter, ſed Eccleſia præcipit, & præſcribit actum ieiunij ſub tali forma, ſcilicet ſub aſtinentia ſaltem à carnibus; hac ratione communiter a DD. vt patet ex Filliuc. *tom. 2. tract. 27.* Ieiunium Eccleſiaſticum definitur, eſſe abſtinentiam ciborum iuxta modum ab Eccleſia omnibus fidelibus præſcriptum [& intelli-

gitur hæc abſtinẽntia quoad qualitatem ciborum mane, & quoad qualitatem, & quantitatem veſpere] ergo quando non adeſt talis forma, nec etiam tenemur ad actum ieiunij, iuxtà illud, pereunte forma perit actus illius *ex l. ſera in fine ff. de auro, & argento, & ex l. quid tamen §. vult ff. quibus modis vſufruct. amitt. & l. peculium §. Quadrageſ. & eadem deciſ.* 267. affert tres paritates confirmatas à pluribus Doctoribus, & à Sacra Congregatione Concilij Tridentini. At quia certiſſimum eſt modo ab Eccleſia emanare præceptum ieiunij, vt abſtinentia ſaltem a carnibus, & non ſub alia forma, ſcilicet eſu carnium, ideo non poſita abſtinentia à carnibus non poteſt dari ieiunium.

Et ſi replicas huiuſmodi diſpenſationem non fuiſſe per modum priuilegii; neque Summus Pontifex præſcripſit nouam formam in ieiunio, ſed ſciens DD. decertare vtrinque probabiliter, an dispensatus ad carnes teneatur ſe abſtinere a ſecunda refectione, alijs concedentibus, alijs verò negantibus, voluit potius affirmatiuæ ſententiæ adhærere timendo, ne abſq; tali declaratione plerique negatiuam ſententiã in praxim deducerent; & ego ad hoc reſpõdeo: hoc dicere, & non probare non infirmat noſtram reſponſionem; vndè è contra dicendum; Videns Summus Pontifex improbabilitatem ſententiæ dicentis cum esu carnium poſſe ſtare ieiunium, & taliter diſpensatos consequenter

po-

poſita comeſtione carnium non fore ieiunaturos; vt ieiunarent, nouam præſcripſit formam ieiunij, sua auctoritate inducendo illam obligationem, quæ modò non eſt ex eſſentia, & natura ipſius ieiunii: vnde ſimpliciter concludẽdum, etiã per Paſq. *eadem deciſ.* taliter diſpẽſatos ad carnes non teneri ad ieiunium, & parum intereſt, ſi obligatio Ieiunij quoad vnicam comeſtionem ſit magis vel minus principalis, vt ipſe notat *n.* 9. ſufficit enim, quod abſtinentia à carnibus detur vt forma ieiunij vt ipſa ablata ceſſet ieiunium.

Ad paritatem autem adductam in argumẽto, ſcilicet ſicuti diſpenſati ad plures comeſtiones tenentur abſtinere à carnibus, ita diſpenſatos ad carnes teneri ad vnicam comeſtionem, reſpondet ipſe Doctor eadem *deciſ. n.* 15. *&* 19. quod ab Eccleſia, ſemper præcipitur actus ieiunij ſub tali forma abſtinentiæ a carnibus, tamen cum ſemper præcipitur talis forma cum tali actu; vno præcepto præcipit vtrumque vltra vigeſimum primum annum, alio præcepto præcipit vnum ſolum, ſcilicet abſtinentiam a carnibus infra vigeſimum primum annum, & quia hæc forma eſt vniuerſalior, & actus ieiunij ſtrictior, ideò benè poteſt ſtare vna ſine alia, licet non è conuerſo, vt patet in ſublunaribus, rationalitas in homine vt actus nõ poteſt ſtare ſine animalitate, vt animalitas ſtare poteſt ſine ratio-

nalitate, vt patet in equo.

Deindè etiam poſito, & dato quod vrgeą præceptũ ieiunij poſita diſpẽſatione ad carnes quid indè ſequitur; Nec etiam dico valet inferrę quod taliter diſpenſati teneantur ieiunare fer.6.& Sabb. occurrentibus intra Quadrageſimam, & ratio eſt, prima nulla daretur forma, ſub qua præciperetur actius ieiunij quo ad vnicam comeſtionem; nam hæc forma vel eſſet eſus carnium in contraria ſententia, vel abſtinentia a carnibus, nęc alia excogitari poteſt, ſed in noſtro caſu non daretur eſus carnium his diebus, vt impeditus ab alio fortiori præcepto carnes prohibente fer. 6. & Sabb. non daretur abſtinentia a carnibus vi præcepti quadrageſimalis, cum hoc ſupponatur extinctum ratione abſolutæ diſpenſationis, ergò ſi nulla daretur forma, nullus poteſt dari actus ieiunij. Et abſtinentia a carnibus aliundè quæ datur, nõ poteſt inſeruire pro formą, quia non eſt ab eodẽ præcepto imponente ieiunium, ſed ab alio diuerſo ieiuniũ non præcipiente, quia vt ſupra probaui, nullo modo abſtinentia a carnibus poteſt eſſe forma ieiunij, niſi proueniat ab eodem præcepto ieiunium præcipiente.

Secundo obijcies; ratio potiſſima DD.dicentium, diſpenſatos ad carnes non teneri ad ieiunium eſt, quia cum eſu carnium non poteſt ſtare ieiunium, ſed fer.6. & Sabbath. ceſſat hęc ratio, cum non detur eſus carnium; ergò vrget

get præceptũ ieiunij quoad vnicam comeſſionẽ:
Reſp. conceſſa maiori, diſtinguo minorem,
er. 6. & Sabb. non datur eſus carnium, quia
rget præceptum quadrageſimale, nego mino-
rem, quia vrget aliud præceptũ imponẽs abſti-
nentiam a carnibus, ſed non ieiunium, conc.
minorẽ, vndè negatur conſequentia, quia vt di-
xi, datur abſtinentia a carnibus his diebus; ſed
hęc non habetur a pręc. quadrageſimali; vndè
non poteſt eſſe forma ieiunij quadrageſimalis;
quia vt fusè probauimus, vt abſtinentia a car-
nibus ſit forma ieiunij debet eſſe ab eodem pręc-
cepto, a quo præcipitur actus ieiunij quoad
vnicam comeſſionem, vndè non inſurgit obli-
gatio ieiunij. Quod clarè patet, nam diſputãt
DD. an vouens ieiunare die Veneris [e.g. in pri-
ma hebdomada alicuius menſis, illo die amiſſo
ieiunio teneatur ieiunare die Veneris alterius
hebdomadæ? negatiuè reſp. Vaſq. .2.*diſt.* 16.*c.* 2.
in fine, Suar. *tom.* 3.*de relig. l.* 1. *de voto c.* 13. *n.* 6.
Sanch. *l.* 4. *ſum. c.* 11. *n.* 4. Chilin. *in ſum. ver.
ieiunium n.* 33. Bonac. *diſp.* 4. *de præc. decal*, *q.* 2.
punct. 5. *§. tr. n.* 10. Ratio quia illud ieiunium
fuit promiſſum tali die talis hebdomadæ, atque
adeo eſt affixum illi dici, tranſacto illo die, li-
cet ſit circa ieiunium ſolùm circumſtantia, trã-
ſit obligatio ieiunij; ergò a pari, quia actus ie-
iunij quoad vnicam comeſtionem ex voluntate
Eccleſiæ eſt affixus huic abſtinentiæ a carnibus
impoſitæ a præcepto quadrageſimali, & non ab
alio

alio pręcepto. Ablata tali abſtinentia per extinctioné præcepti quadrageſimalis tollitur etiam actus ieiunij quoadvnicã comeſtioné quod argumentũ ſequitur a fortiorì cũ talis abſtinentia ſit de eſsétia, & nõ circunſtãtia ieiunij. Et replicare quod remaneat abſtinẽtia a carnibus pro his diebus eſt nihil reſpõdere; quia abſtinentia, quæ remanet, eſt realiter diſtincta ab abſtinétia quadrageſimali, & illi ex voluntate Eccleſiæ non eſt affixus actus ieiunij.

3. Obijcies. Diſpenſatum in Quadrageſima tantum ad oua, & lacticinia teneri ieiunare; ſed generaliter diſpenſatus in Quadrageſima ſolum prò his diebus diſpenſatur ad oua, & lacticinia: ergo tenetur fer. 6., & Sabb. ieiunare.

Reſp. nego minorem, nam vel talis diſpenſatio cadit ſupra præceptum vrgens peculiariter ſingulis 6. fer. & Sabb., & reſpectu huius nõ datur diſpenſatio ad oua, & lacticinia, quia non datur diſpenſatio legis circa id, quod non prohibet lex; vndè cum hoc præceptum non prohibeat oua, & lacticinia, ideò circa hæc nõ poteſt dari diſpéſatio: vel cadit ſupra pręceptum quadrageſimale, & falsũ eſt, quod aſſeritur, quia talis diſpenſatio etiam quoad hos dies eſt ad carnes, & ſi non comeduntur, eſt quia ſupponitur impedita ab alio pręcepto his diebus concurrente; quod eſt certiſſimum, nam ſi per impoſſibile nõ daretur illud aliud pręceptũ, ratione talis diſpẽſationis diſpéſatus poſſet comedere

 car-

carnes fer. 6. & Sabb., ſicuti in alijs diebus,dum de ſua natura non eſt coarctata ad aliquos dies: Senſus autem, in quo loquuntur DD. quandò diſpenſatus ad oua tenetur ieiunare eſt quando pręceptũ quadrageſimale relaxatur ad hęc tãtũ; ſed viget quoad abſtinentiam a carnibus,vt non eſt in caſu noſtro.

4 Diſpenſatus a carne in Quadrageſima pro aliquibus diebus tenetur ieiunare cæteris diebus, pro quibus non poteſt vti carnibus; ſed fer. 6., & Sabb. taliter diſpenſatus non poteſt vti carnibus; ergò tenetur ieiunare.

Reſp. concedendo maiorẽ, quia ſupponitur diſpenſatio reſtricta, & coarctata ad præciſos, & tales dies, & non vltra; & quod ratione pręcepti quadrageſimalis taliter diſpenſatus non poſſit vti carnibus, neganda eſt minor; quia cum hoc ſupponatur ablatum ratione abſolutæ, & generalis diſpenſationis, ideò taliter diſpenſatus poſſet vti carnibus, non vtitur autem ratione alterius præcepti ieiunium non imponentis.

5 Tempore Quadrageſimæ, quando quis pro libito comedit piſces tenetur ad ieiunium ex pluribus DD., ergò a fortiori quando hoc facit ex præcepto.

Reſp. negãdo antecedens ex Paſqual. Turria. Lean. & alijs DD. ſupra me cit. §. *nam primo ob. rationem*, & fauent omnes ferè rationes ſupra allatæ, nam ſi pro libito comedunt piſces, iam

ab-

abſtinentia a carnibus non habetur a præcepto quadrageſimali, & conſequenter non poteſt eſſe forma actus ieiunij. Vlterius talis diſpenſatio eſt per modum priuilegij, vndè quando taliter diſpenſatus eo non vtitur quoad vnam partem, poteſt vti quoad aliam, & falſum eſt, quod aſſeritur; quod ſi DD diſputent an taliter diſpenſati teneantur ieiunare quando pro libito comedunt piſces, pro certo habent quod teneantur ad ieiunium, quando ex præcepto ſe abſtinent a carnibus fer. 6. & Sabb. Imò è contra dicendum,in tantum non diſputant an teneãtur abſolutè diſpenſati fer. 6. & Sabb. ieiunare, quia ſupponunt hanc difficultatem reſolutam in illa deciſione, an teneantur ad ieiuniũ quando pro libito comedunt piſces,cum eodem modo non inſurgat præceptum quadrageſimale, ſiuè piſces comedantur ex libito,ſiuè ex alio præcepto non imponente ieiunium.

6 Cauſa, quæ ſtat pro edendis cibis prohibitis, non ſtat pro non ieiunando fer. 6., & Sabb. ergò cum fer. 6., & Sabb. non detur cauſa non ieiunandi, quia ſupponuntur vires, ideò non datur diſpenſatio in ieiunio quoad vnicam comeſtionem.

Reſp. falſum eſſe antecedens ſi loquimur de cauſa mediata; verum tamen eſt de cauſa immediata: Nam obligatio ieiunij quoad vnicam comeſtionem poteſt ceſſare duplici ex cauſa immediata, vt quando non ſupponuntur vires

 ſuffi-

ſufficientes, ætas præſcripta, ſcilicet vltra vigeſimum annum; commoda refectio in vnica comeſtione ratione paupertatis &c. ex cauſa autẽ mediata, quando datur talis indiſpoſitio, quæ exigat diſpenſationem ad carnes, ratione cuius tollitur abſtinentia illa, quæ in ieiunio præſcribitur vt forma; quia pereunte forma, perit etiã actus, vndè illa eadem cauſa, qua immediatè tollitur abſtinentia quadrageſimalis a carnibus, mediatè tollitur actus ieiunij: vndè concludendum. cauſa, qua ſtat immediate pro edendis cibis prohibitis, ſtat etiam mediatè pro non ieiunando, & parum intereſt, ſi Medici ſuadeant in hoc caſu ieiunium, & Superiores non intendant diſpenſare quoad vnicam comeſtionem; quia ſemel ac iudicio rationabili prudẽtis Medici innixus Superior generaliter diſpenſat ad carnes, vnde ceſſat abſtinentia a carnibus præſcripta a præcepto quadrageſimali, ex ſua natura deindè abſque alia atteſtatione, & diſpenſatione ceſſat actus ieiunij quoad vnicam comeſtionem; cum ex ſua natura deſtruatur actus, poſita deſtructione formæ, cum qua eſſentialiter connectitur; ſicuti a pari in ſublunaribus deficiente animalitate in homine, ex ſua natura abſque alio deficit rationalitas vt actus animalitatis.

7. Ex hoc clariſſimè deducitur; falsũ eſſe quod quælibet diſpenſatio nihil aliud concedat niſi licentiam veſcendi cibis prohibitis, vt infertur

ex quadam declarat. Sac. Cong. apud Nicolium in floſc. 11. quadrag. n. 1. *Epiſcopus in ſua diœceſi concedere debet facultatem etiam Vicarijs foraneis, & Archipresbyteris, vt de conſilio Medicorum impertiri poſſint indigentibus licentiam veſcendi cibis vetitis.* Et ratio eſt, quia illa diſpenſatio, quæ dat licentiam veſcendi cibis prohibitis, & conſequenter tollit abſtinentiam a carnibus, quæ eſt forma, & de eſſentia, tollit etiam ieiunium quoad vnicam comeſtionem, vt actus illius formæ, & eſſentiatum ab illa eſſentia.

7. In taliter diſpenſatis non reperitur actualis infirmitas, non imbecillitas virium, non eſus carnium; ergò nulla refulget ratio, cur iſti diſpenſati nõ teneantur ieiunare fer. 6. & Sabb.

Reſp. nego conſequentiam, vt toties repetitũ eſt; quia vt inſurgat præceptũ ieiunij, quoad vnicam comeſtionem, non ſufficit, vt non ſit eſus carnium, ſed vlteriùs requiritur vt non ſit, quia vrget præceptũ aliquod esũ carniũ prohibens, & ieiuniũ imponens; cum abſtinentia a carnibus, vt forma ieiunij, debeat eſſe ab eodẽ præcepto ieiuniũ præcipiente, vt non eſt in caſu noſtro, cum ratione alterius præcepti ieiunium non imponentis non ſit eſus carnium.

Vltimo ex Conc. Trid. ſeſſ. 25, de reform. c. 18. non poteſt inferior Summo Pontifice, etiam Epiſcopus diſpenſare in lege Eccleſiaſtica ieiunij ſine iuſta cauſa, & vltra neceſſitatis exigentiam, & ſupra cauſam finalem, & ceſſante au-

ſa finali, ceſſat omnis diſpenſatio; ita comm. DD. apud Paſqual. in append. deciſ. 464., ſed taliter diſpẽſatis ceſſat omnis cauſa finaſis, quia nulla eſt neceſſitas, nulla iuſta cauſa, cum firmis pollẽat viribus, nec in eis timetur notabile nocumentum ex eſu piſcium, & abſtinentia a carnibus, vt patet; ergò pro his diebus tenentur ieiunare.

Reſp. primò; ſequeretur [ſi hoc eſset verum] aliquod abſurdum, & conſequenter nihil probat argumentum, quia nimis probat. Nam refectiuncula ſerotina introducta eſt ob indigentiam, & neceſſitatem; ergò qui ità pollet viribus, vt per vnicam comeſtionem poſſet ſubſtentari, peccabit mortaliter ſi eam ſumat, quia ſumit vltra indigentiam, & neceſſitatem. Si recurritur ad conſuetudinem, ego replico, hęc conſuetudo eſt contra legem ieiunij; nec poteſt cohoneſtari a neceſſitate in eo, qui eam non habet; vnde in eo erit abuſus. Si iterùm dicitur, quod ſit in vigore quia acceſſerit ei cõſenſus voluntarius Principis; oſtendatur quonã diplomate eſt manifeſtatus; & ſi eſt manifeſtatus, non debet ſupponi vltra neceſſitatem, & indigentiam; ergò qui ea non indiget, non poteſt vti refectiuncula; recurrere autem ad ſolam tolerantiam, non ſufficit per aduerſarium, vt ex ea colligi poſſit cenſenſus Pontificis, vt inquit *l. cit.* vbi *ex cap. cum iam dudum in fin. de preben.*

quic-

quicquid in hoc ergò dicitur, erit etiam dicendum in noſtro caſu, cum in taliter diſpenſatis conſuetudo non ieiunandi fer. 6., & Sabb. non opponatur, neque contineat turpitudinem contra legem Diuinam, aut naturalem, aut rationis æquitatem, vt fundata in diſpenſatione habita generaliter iudicio rationabili prudentis Medici; ex hoc ſufficit vt ſit rationabilis, ità Monceſ. *in p.* 1. *tom.* 2. *diſp.* 23. *q.* 13. *n.* 210. Granad. *tract.* 7. *part.* 2. *diſp.* 56. *ſect.* 1. *n.* 2. Sanch. *lib.* 7. *diſp.* 4. *n.* 14. apud Dian. *part.* 6. *tr.* 5. *reſol.* 1. Vlterius introducta eſt ferè ab omnibus diſpenſatis, & ſufficeret a maiori parte vt conſuetudo ſuam haberet vim, ità Dian. *part.* 6. *tr.* 5. 14. Et ſi Regulares diſpenſati in his diebus ieiunant, & aliqui etiam ſæculares, hoc faciunt ex obſeruantia ſuarum regularum, vel ad melius operandum, non autem quia cognoſcant eſſe adſtrictos ad hoc ſub lethali culpa. Et deindè circa hanc conſuetudinem adeſt conſenſus Principis tacitus; quia impoſſibile eſt quod eam ignorauerint, & ignorent tot Summi Pontifices, præſertim ij, qui quando in ſtatu priuato ratione talis diſpenſationis habitæ ex proprijs indiſpoſitionibus non ieiunauerunt, vel ſaltem non viderunt, ſicuti & nos, alios diſpenſatos non ieiunare, & hoc ſcire, & non reprimere eſt aſſenſum præbere, ità Lorca *in part.* 2. *tom* 3. *diſp.* 29. *de legib. membr.* 2. Imò neque requi-

ri-

ritur ſcientia, neque alius conſenſus præter eum, qui per ipſum ius datur, cum mens Principis ſit, vt lex cedat rationabili conſuetudini, & hæc habeat vim legis, ideò ipſa poſita abſque alio conſenſu, vim legis obtinet, ità Sanch. de matrim. *l. 7. diſp. 4. n.* 11. Suar. *lib. 7. c.* 13. *n.* 6. Quæ doctrina præcipuè tenet in caſu noſtro, loquendo non de adſtrictis, ſed potius de diſpenſatis a lege; vndè dicendum, poſita tali diſpenſatione non ieiuniare fer. 6., & Sabb. non eſſe abuſum; quod dignoſci poteſt a poſteriori; dum neque Concionatores, neque ferè omnes Confeſſarij, neque Epiſcopi, nec tot animarum curam habentes diſpenſatis in hoc aliquem intulerunt ſcrupulum, & licet aliqui contrarium ſentiant, parùm intereſt; ſufficit enim ſi maior pars conſentiat, Diana. [illegible]

Addo; ſi ſtandum eſſet præcisè indigentiæ, & in hoc procedendum eſſet toto rigore, nimis conſcientiæ angerentur ſcrupulis, & tale priuilegium diſpenſationis eſſet magis onerosum, quàm ipſum præceptum quadrageſimale; quia taliter diſpenſatus deberet examinare ſi neceſſitas vigeat in tota Quadrageſima, vel aliquibus diebus; quia ieiunando bis, vel ter in tota Quadrageſima non timeretur forſan notabile nocumentum; ſi vigeat pro omnibus diebus, vel pro aliquibus; in omnibus, vel ſaltem in aliqua hebdomada; ſi eſus carnium ei ſufficeret ſolum in prandio, & non eſſet neceſſitas in

cœna; tūc enim teneretur ſe abſtinere a carnibus in ſecunda comeſtione, vt docet Paſqual. *tract. de Ieiun. deciſ. 270. n. 5.* nec non deberet aduertere ad qualitates ciborum; quia forſan ſi veſceretur aliquibus cibis, ſcilicet piſcibus, abſtinendo ſe ab alijs magis nociuis, & fercula tali modo, & nō alio cōdiretur & præpararetur, nō timeretur aliquod forſan damnū, quę omnia cum ſint difficillima obſeruatu, nimis animæ anguſtiarentur, & proximè conſtituerentur in periculo labendi in aliquod peccatum; quod non eſt credendum de voluntate Eccleſiæ, quæ eſt benigna mater; ergo dicendum quod eius voluntas ſit, vt in ſimilibus diſpenſationibus quis ſe gerat moraliter, & rationabiliter, vndè poſita cauſa rationabili, & morali diſpēſationis pro tota Quadrageſima, vt ſupponitur in caſu noſtro ex voluntate Eccleſiæ; non amplius obligatio ieiunij vrget quoad vnicam comeſtionem, quia ſemper viget talis diſpenſatio quoad eſum carnium, & conſequenter quoad plures comeſtiones.

Reſp. 2. directè ex aurea doctrina Paſqual. *in appen. de Ieiun. deciſ. 46. n. 4.* quod alia ſit neceſſitas; & indigentia motiui mouentis Superiorem ad talem diſpenſationem faciendam; alia eſt neceſſitas, & indigentia edendi vet tum; illa pertinet ad cauſam finalem, hæc ad opus nutritionis; vndè vna ceſſata, poteſt alia non ceſſare, vt ſi quis ſimpliciter indigeret carnibus

ſed

ſed optimè poſſet ſubſtentari per vnicam comeſtionem. Quare dicendum, quod ſi ceſſat illa indigentia, quæ pertinet ad cauſam finalem, ceſſat diſpenſatio, non autem ceſſata indigentia, quæ pertinet ad opus nutritionis: Et addo, ſi quæſtio procedit de iis, qui aliunde pollent viribus; ergò non neceſſitas nutritionis poteſt eſſe cauſa mouens Superiorem ad talem diſpenſationem; & cauſa finalis non ceſſat, quia vt dixi eſt per modum habitus permanentis, nec etiam ceſſat diſpenſatio, licet aliquando dicatur impedita ab aliquo alio præcepto ne ſuũ habeat effectum quoad eſum carnium.

1 Quare ad firmandam noſtram concluſionem, non eſt neceſſe probare validam eſſe diſpenſationem vltra indigentiam ab Inferiore conceſſam; & Inferiorem poſſe validè diſpenſare pro ſingulis diebus cum eo, qui pro duobus, vel tribus tantum indiget; nam in noſtro caſu ſupponitur, & adeſt indigentia ſufficiens pro generali diſpenſatione, quia eſt per modũ habitus, nec tollitur ob aliquod impedimentũ occurrens; alioquin nulla adeſſet difficultas.

2 Non eſt probandum falſam eſſe ſententiam Homoboni de Bonis, quia etiam ſi ſit vera, non eliminat noſtram concluſionem, cum vnus Auctor non reddat opinionem neque certam, neque probabilem; vltra quamquod ex eius ſententia nihil ſequitur contra me; quia cum impotentia ſit iuxta naturam indigentiæ,

quan-

quando hæc eſt habitualis, vt in noſtro caſu, etiam impotentia dicitur habitualis; vndè hac poſita ſicuti extinguitur præceptũ quadrageſimale, ita tollitur obligatio vnius comeſtionis.

3 Declaratio Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Archiepiſcopi non obſtat noſtræ ſententiæ, quia taliter diſpenſatus non ieiunando fer. 6. & Sabb. non facit contra eius mentem, dum vtitur diſpenſatione, non vltra, ſed iuxta limites indigentiæ habitualis, & permanentis.

4 Talis diſpenſatio relaxat totam obligationem ieiunij indigentibus, quia relaxando ieiunium quoad eſum carnium indigentibus, relaxat etiam quoad vnicam comeſtionem, cum hæc eſſentialiter dependeat ab abſtinẽtia a carnibus importatâ a præcepto quadrageſimali.

Ad Canonem autem adductum, reſp. non eſſe in vſu, quia multa ſunt iuſſa a Concilijs, & inſinuata a SS. Patribus, quæ temporum decurſu, ob imbecillitatem naturæ continuò dilabentis, ratione conſuetudinis in contrariũ, vigorem non habent. Et hæc ſatis ſint dicta pro noſtra concluſione, vt Animæ non diſcrucientur ſcrupulis, & trepident timore vbi non eſt timor, non autem ad laxandas crapulis habenas.

Ego autem certiſſimè cenſeo ſemper fore conſulendum opinionem contrariam, quod taliter ſcilicet diſpenſatus ieiunet fer. 6. & Sabb. vt ipſi per quam poſſibile ſit agnoſcant dies

pœnitentiæ,non tamen ſub mortali culpa, ne anima, & coſcientia erronea peccando dicere poſſit, incidi in foueam, quam ipſe mihi feci; Quare hanc doctrinã edocere ad ſolum tollendos animabus laqueos, & contrariam conſulere, ſed non ſub graui culpa, & eã amplecti, vt facerem in ſimili caſu, non eſt degenerare a primis Parentibus, vt ſapienti patet.

LAVS DEO OPTIMO MAXIMO
GLORIA B. MARIÆ VIRGINI,
ET S. P. N. CAIETANO.

DE Ordine Reuerendiſs. D. Vicarij Generalis Flamminij Nobili vidi ſupradictam ſcripturam, qua diſpenſati abſolute ad eſum carnium in Quadrageſima eximuntur ab obligatione ieiunandi ſextis ferijs, & Sabbatis Quadrageſimæ, & nihil reperi Catholicæ Doctrinæ, aut morum diſciplinę repugnare, quo minus typis mandari valeat, in quorum fidem hæc mea manu ſcripſi die 6. Decembris 1684.

Bernardinus Pierotti Congr. Matr. Dei.

Imprimatur

Flamm. Nobil. Vic. Gen. Eminentiſsimi Card. SPINOLA Epiſc. Luc.

Aloyſ. Manſ. Perilluſtr. Off. Iuriſd. Præpoſ.

99 955056

Z. 1072.14

Digitized by Google

MC